













1711.

1. Berber, Gottfried : De jure societatis armiarum cum profanis.
2. Meier, Johannes Henricus : De creditorum paternorum chirographorum et filii creditorum hypothecariorum concursu in bonis feudalibus.
3. Meier, Johannes Henricus : De tutela nativa.
4. Meier, Joh. Henricus : De jure praehonorario.
5. Oheim, Johannes Sebastianus : De salario advocati in propria causa vincens.
6. Reinhardt, Tobias Facetus : De jure eligendi in obligatione alternativa.
7. Reinhardt, Tobias Facetus : De incanto contractu cum universitatibus.
8. Rolke, Christophorus : De actionibus conjugum maritum.
9. Tenzell, Ernestus : De famoso rescripto imperatorio.  
l. 2. C. de rescript. velat.

10. Tenzel, Emerich: De vigilantia in iure necessaria
11. Treiber, Joann. Philippus: De iure palatioms
- 12<sup>a</sup> Treiber, Joann. Philippus: Dissertationes iuridicae,  
representans verum dominum tanquam male fidei pos-
- 12<sup>b</sup> <sup>Senesens</sup> Vestf. Inst. Fac. iur. Decana: Poggans, Dissertationi solenni  
13. Wächter, Joannes Conradus: De interrogatoriis


corumque 1139.

1712.

1. <sup>2</sup> Fischer, Jacobus: De puerorum honorum abusa
- 16<sup>a</sup> <sup>2</sup> Lindley, Hieronymus: De ceteritate vulnorum.
2. Meier, Joh. Henricus: De incendiis, tam civilibus,  
quam criminaliter consideratis
3. Meier, Joannes Henricus: De uno teste plane probante
4. Meier, Joh. Henricus: De collatione bonorum
5. Meier, Joh. Henricus: De rescriptis superiorum
6. Reinhardt, Tobias Jacobus: De bona fide in praescrip-  
tionibus non necessariis



7. Reinhardt, Tobias Faustus: De eo, quod citatur  $\frac{1}{2}$  stipendiis et studiis iurum s. T.
8. Roscher, Franz: De administratione bonorum absentis proximis successuris competente
9. Streit, Joh. Philipp: De iudice vices partium et advocati suppletis
10. Streit, Joh. Philipp: De incongruis iuramentorum Te et relationibus.
- 11<sup>a, b, c</sup>. Stengel, Ernestus: Dissertationes juridicae sistens probationem et reprobationem bonorum cessatorem
12. Ziegler, Aug. Henr: De donatione inter vivos.





3  
2. D. B. V. 1711, 7  
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

DE  
**INCAUTO CONTRAHEN-  
TE CUM UNIVERSITATIBUS,**

*Quam*  
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,  
RECTORE HUIUS UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO;  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO

**PHILIPPO WILHELMO,  
S. R. I. COMITE de BOINEBURG,**

P. 80.  
SACRÆ CÆSARÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO & CA-  
MERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCLESiarUM,  
MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CANONICO CAPITULA-  
RI SENIORE, & respectivè SUPREMO CHORI-EPISCOPO,  
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CON-  
SILIARIO INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORIique  
EREFURTENSIS PRO-PRINCIPE &c. &c.  
EX DECRETO ILLUSTRIS JCTORUM ORDINIS IN  
ELECTORALI EREFURTENSI ACADEMIA,  
SUB PRÆSIDIO

*VIRI Prænobilissimi ac Consultissimi*  
DN. TOBIÆ JACOBI *Reinhardt*/J.U.D.,  
nec non Regim. ac Judic. Elect. Erfurt. Advoc. Ordin.  
DN. PATRONI ac FAUTORIS maximè devenerandi,  
PRO LICENTIA

Et Consequendis Summis in Utroque Jure HONORIBUS,  
PRIVILEGIIS & IMMUNITATIBUS,  
*Solenni Eruditorum Cætui publicè submittit*

**ANDREAS GROSSMANN, Sangerh. Thur.**

In Auditoriò JCTORUM Majori,  
Ad diem 21. Martij M. DCCXI. hor. antem. IIX.

EREFURTI, Typis JOH. HENR. GROSCH. Acad. Typogr. 2374





INSTITUTIO UNIVERSITATIS  
MAGISTRI WILHELMI

RECTORIS HUIUS UNIVERSITATIS  
MAGISTRI WILHELMI

MAGISTRI WILHELMI  
MAGISTRI WILHELMI

MAGISTRI WILHELMI  
MAGISTRI WILHELMI

MAGISTRI WILHELMI  
MAGISTRI WILHELMI


MAGISTRI WILHELMI  
MAGISTRI WILHELMI

MAGISTRI WILHELMI  
MAGISTRI WILHELMI

MAGISTRI WILHELMI  
MAGISTRI WILHELMI







DISSERTATIONIS INAUGURALIS JURIDICÆ.

De

Incautò Contrahente cum  
Univerſitatibus.

Œct. I.

SUMMARI A.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Quid in hâc Rubricâ veniat considerandum?                                       | 7. Quotuplex?   |
| 2. Derivatio Vocabuli: Incauti, & quid cavere & Cautio in LL. denotet?             | 8. Civitas in generaliſſimo ſignificatu omnes Univerſitatis ſpecies complectitur. |
| 3. Cavere idem quoque, quam diſponere, ſed noſtrâ in Rubricâ providere ſignificat. | 9. Societas nomine Univerſitatis non venit.                                       |
| 4. Incautus Contrahens à Doſoſo & Callidò eſt ſeparandus.                          | 10. Definitio Incauti Contrahentis cum Univerſitate.                              |
| 5. Univerſitatis varia acceptio.   | 11. An Civitas contrahere poſſit?   |
| 6. Quid hic denotet?   | 12. An gaudeat Jure privato-<br>torum?  |

Œ. I.

**D**E Incautò Contrahente cum Univerſitatibus Diſſertationis Inauguralis locò commentaturi, ad totius materiæ faciliorem explanationem haud parum conferre

C 2

ferre



ferre credimus, si ipsius Rubricæ aliqualem reddiderimus rationem, eamque brevibus enodaverimus. Duo autem hic consideranda veniunt, partim quid in cautus contrahens? Deinde quid universitas nobis denotet?

§. II.

Sicut itaque Vocabulum *Incautus* ab *in* & *cautus* compositum, idem ac minus cautus significat: Ita à cavendo derivari, in vulgus notum est. Tò *cavere* autem varios in Jure significatus recipit; Vel enim idem est ac securum reddere adversarium, unde Cautio Germ. *Eine Versicherung* descendit, quæ si fidejussoribus præstatur, in speculiori sensu *satisfactio* audiebat, de quâ textus occurrit in *L. 1. pr. ff. qui satisf. cog.* Si verò nudâ promissione expediebatur, vulgò *vermöge Handschlags* Promissoria & *cautio* dicebatur in *L. 3. C. de Verb. & Res. signific.* Quò quoque illud genus Cautiois, quod in scriptis expeditur, spectare videtur; Multò enim sæpius Vox Cautiois pro ipso Chirographò, ut in *C. si cautio 14. X. de fid. Instrum.* nec non pro Instrumentò Obligationis, ut in *L. Le & a 40. ff. de reb. cred. L. 28. §. 4. C. de Admin. tut.* accepta legitur.

§. III

Aliò quidem sensu cavere idem ac de futuris quid fieri debeat, *disponere*, in LL. denotat, hocque non de Legislatoribus solum, ut in *L. 28. C. de Usur. & L. 1. C. Theod. de privil. corpor.* sed de testatoribus quoque, quorum voluntates eandem vim



vim ac Leges habere dicuntur, *Nov. 1. C. 1.* prædicatum videmus, cuius posterioris elegans exemplum, in *L. 1. C. de Collat.* conspiciendum est, *vid. L. 6. §. 1. ff. de serv. Export.* sed nobis illa acceptio, quò sensu ad nostrum scopum magis apro, idem ac *prospicere l. providere* significat, perplacet, qualis in *L. 3. pr. ff. de transact. §. L. 73. §. f. ff. d. Reg. Jur.* occurrit: atque in hoc ultimò significato cautus uti idem ac prospectum & providum, *vid. L. 2. C. d. furt.* Ita incautus, contrahens nihil aliud, quàm improvidum minusque sibi in contractu prospicientem hic significat.

§. IV.

Sed dum incautum pro eo accipimus, qui minus in Contractu sibi prospicit, id merito ad illum, qui legitime sibi prospicere potest & ex negligentia jus suum non adhibet, restringimus. Quicumque enim ex machinationibus ad decipiendum alterum ex cogitatis in fraudem legis quid committere, sibi que cum læsione alterius in Contractu illicitè quidem providere, cautusque vel potius callidus esse posset, non tamen, uti omnem probum virum decet, callidus est, quin potius ad conferendam conscientia securitatem ab eiusmodi fraudibus abstinet, is non tam incauti notam incurret, quàm viri infucati nomen merebitur *vid. Illustr. B. Stryk. in C. C. Sect. 1. C. 1. §. 8.*

§. V.

Universitatis porro nomen, quid involvat? ut brevibus perlustremus, ordinis ratio postulat.



Sicut enim ingeneraliori significato est Collectio plurium corporum, quæ inter se distant communique nomini subiecta sunt, secundum Lofæum *de Jur. Unvers.* p. 1. c. 1. n. 2. & tam ad res quam ad personas refertur juxta Besold. *in delib. Jur.* L. 3. qu. 24. Ita in sensu specialiori duplicem agnoscit differentiam, quarum una de rebus, altera de personis prædicatur. Illa vel facti est, quæ factô constituitur, ut grex, vel Juris quæ à Jure constituitur, ad quam hereditas, peculium & territorium referenda sunt; Atque sub hâc non tantum plures res, sed plura etiam jura comprehenduntur L. 239. §. 8. ff. d. V. S. Hæc verò, quæ de personis prædicatur, à Doctoribus sic describitur, quod sit corpus ex distantibus personis unitum communibus legibus ad communem utilitatem utens. L. 1. §. 1. ff. *Quod Cuj. Unvers. nom.* Vocaturque *Communitas*, L. 37. ff. *de Judic.* L. 6. §. 2. ff. *de Excus. tut.* Atque germanico idiomate eleganter *Eine Gemeinde* exprimitur, de quâ voce vid. *Speidel.*

§. VI.

Ultimâ autem Universitatis species, quæ ad personas refertur, ad nostrum scopum pertinet. Repræsentat enim ejusmodi corpus non quidem veram, fictam tamen, seu mysticam personam, à pluribus naturalibus quasi abstractam, & ut loquitur *Carpz.* p. 1. C. 16. d. 95. n. 3. neque animam neque corpus habentem; Ita, ut licet in universitate plures sint personæ, hæc tamen ab ipsa universitate

te



te in tantum distingvuntur, sicut res hereditariæ ab ipsâ hereditate, quæ etiam ad instar universitatis, *L. 2. ff. quod. cuj. univ. nom.* unam repræsentare personam dicitur in *L. 22. ff. de fidejuss.*

§. VII.

Idque in omni universitate obtinet, quarum DD. quatuor faciunt species; Unam Largam, quam provinciam vocant; Alteram minus largam, quæ Civitatem constituit; Tertiam minimam, quæ in pagô vel villâ conspicitur & quartam Collegium; quarum ultima à *Loxæo in d. tr. p. 1. c. 2. n. 1.* est addita. Imo nos nec Ecclesiam quæ semper per Administratores vel capitulum rebus suis superest, hic excludimus: Quamvis breviori stylo in totalem quæ totam Rempubicam, & partialem, quæ quamlibet in Republicâ civitatem & communitatem complectitur, distingvi possit; Hæc tamen ultima speciatim Universitatis nomine à Justinianô in §. 6. *J. de Res. divis.* accipitur vid. *Dn. Schilt. Inst. L. 2. t. 1. Aph. 6.*

§. VIII.

Vocem civitatis quoque adeò laxiorem multò sæpius recipere sensum, ut omnes Universitates & Collegia licita, quæ per alios reguntur, sub sua latitudine comprehendere possit, tradit *Rol. à Valle Vol. 2. conf. 90. n. 2r.* Valida enim est argumentatio à Civitatibus ad Collegia à Principe adprobata, *arg. l. 1. §. 1. ff. quod cuj. Univ. nom. ibique Gothofr. lit. Z.* neque inusitatum est, quod dum Leges de juribus & rebus collegiorum promiscuè



miscuè loquuntur, civitatis tantum exempliative mentionem faciant. *V. L. Bona Civitatis 15. & L. 27. ff. de V. S. Sfort. Odd. de restitut. qu. 3. n. 66. seqq.*

§. IX

Ex dictis sua sponte consequitur: Socios in societate viventes universitatem non constituere; eamque sub nostrâ Rubricâ non comprehendi. Noster enim sermo ad Universitatem personarum, non rerum, qualis est Societas, quatenus est contractus, dirigitur. Undè evenit, ut in universitate propriè sic dicta viventes, nec pro divisâ neque pro indivisâ parte jus in rebus Universitatis habeant, nisi collectivè sumti; cum è contrariò res, quæ ad societatem pertinent, ad singulos pro parte indivisâ sine dubio spectent.

§. X.

Sic itaque incautum Contrahentem cum universitate describimus: Quod fitis, qui in contractu cum corpore quodam ex distantibus personis legitime unito fictamque personam representante innito, minus, cum tamen legitime possit, sibi prospicit.

§. XI.

Cum autem Civitatem fictam representare personam diximus, illam validè contrahere posse, extra dubium est. Utut enim universitas nomen Juris sit, animum non habens, neque intellectum *L. 2. L. sicut §. f. ff. quod cuj. univ. nom. L. an usufr. ff. de Usufr.* ideoque nec consentire possit, *vid. L. 1. §. f. ff. de acqu. possess. L. sed ex dolo:*

§. 1.



§. 1 ff. de dol. mal. Quatenus tamen per aliquos ad id constitutos regitur, iisque potestas ad ipsam repræsentandam data est, ejus quoque erit consensus & obligatio, istorumve factum significabit factum Universitatis, L. Municipis 14. ff. ad Municipal. L. 3. § Municipibus ff. de bon. possess. Nec diversitatis adparet ratio, quare in Universitatibus non idem jus ac in singulis statui debeat, nec est lex, quæ civitates eximat, quin potius LL. quæ loquuntur de singulis, eousque ad universitates quoque pertinent, quousque expressim non exceptæ L. nihil interest, 15. ff. ad Scit. Maced. L. etiam 30. ff. de usur. L. 4. ff. quod jussu.

§ XII.

Notanter tamen: quousque expressim non exceptæ, addidi Nam utut Civitates privatorum loco haberi dicantur in L. Eum qui 16. ff. de V. S. Nihilque interesse in L. 15. ff. ad Scitum Maced. asseratur, quis filio familias crediderit, utrum privatus, an civitas, cum in civitate quoque Scitum Macedon. locum habeat. Multæ tamen sunt exceptiones, quibus Jura Civitatum longè majoris, quam res privatorum, sunt favoris. Ut ecce: Pacta, quibus usuræ promittuntur, regulariter de Jure Romano non obligabant, sed in mutuo civitatis obligant L. 30. ff. de Usur. ibique Gothofr. lit. Z. ubi eleganter adjicit, favere hic legem non pacto, sed personæ. Sic ususfructus Civitati vel Collegio ad longissimum usque vitæ humanæ terminum, qui est centum annorum, durat, L. 56. ff. de usufr. leg.

B

L. 23.



*L. 23. §. 1. C. de SS. Ecclesis*, nisi in totum extingvatur ejusmodi collegium, quò Casu simul etiam quasi morte extingvitur. *L. 21. ff. quib. mod. ususfr.* Ususfructus è contra privato relictus longe breviori terminò expirare notissimum est. Sic in materiâ præscriptionis Res Civitatum, nec non Ecclesiarum non nisi 40. annorum spatio \* amittuntur, *Nov. III. Cap. 1.* Res privatæ verò breviori tempore, pro diversitate scil. rerum & qualitatum: & quæ sunt aliæ universitatum civitatumve prærogativæ.

\* Res Civitatum pariter ac Ecclesiæ, jure Codicis centum annis demum præscribentur *L. 23. C. de S. S. Eccl.* Cum verò postea per *Novellam III. C.* quoad Ecclesias 100. anni in 40. mutati fuerint, centenaria præscriptio verò in dictâ Novella quoad civitates non sit expresse sublata, multi eam in præscribendis rebus Civitatum adhuc hodie defendunt. Sed cum res civitatum non majorem mereantur favorem quam Ecclesiæ, nostra sententia praxi est conformior & receptior B. Du. Stryk in Comment. ad Lauterb. *iii. de usurpat. & usuc. Vor.* Civitatum. Vid. Schilt. ad *Inst. L. 2. T. 6. aph. 9.* ubi docet, quod Jur. Saxonico Elect. communis juris præscriptio 31. annorum & termini saxonici sufficiat, per *Const. Elect. P. 6. C. 6.*

## SECT. II.

### SUMMARIA.

1. **C**um universitatibus contrahentes sæpissime Incautorum notam incurrunt.
2. Idque principaliter ex neglecta formâ Reipublicæ vel civitatitatis provenit.
3. Quo-



3. Quomodo hæc accuratè discernenda?
4. Quid obrineat, si in Magistratum totum Imperium translatum sit?
5. Unde hoc colligendum?
6. Quando tali casu non obligetur Civitas?
7. Quid, si creditor cum iis contraxerit, qui civitatem representant, obrineat? Et qualem Senatus Civitatis Imperialis potestatem habeat?
8. Nudi Administratores Civitatis graviora negotia Statum publicum aut singulorum marsupia attingentia, non, nisi consensu populi expedire possunt.
9. Quod secus, si agant officii suis coherentia.
10. Etiam si contractus in utilitatem Civitatis non verferit.
11. Quid, si extra officii necessitatem contraxerint, obrineat?
12. Limitatio prima.
13. Limitatio secunda.
14. An teneatur Civitas, si in populi presentia mutuum acceperit Administratores?
15. Quid, si in instrumentò expressum: Consensum populi fuisse adhibitum?
16. Contra Civitatem ex Contractu Administratorum non est locus processui executivo.
17. Civitas ex Contractu Administratorum tunc demum tenetur, si Creditor versionem in utilitatem probare possit.
18. 19. Hanc per Instrumenta probaturus, quomodo Incautus existat?
20. Quomodo Incautus versionem per Confessionem probet?
21. Neque ipsius Civitatis confessio plenam Creditori affert securitatem.
22. In Juramenti delatione super versione Creditor Incautus evadit.
23. Contra Administratores agere potest, si Incautus versionem probare nequit.
24. Incautus Creditor in litigandò cum Universitatis Syndicò.
25. Neque Syndici constitutio à solis Administratoribus facta subsistit. Contra Mevium & Carpovium.
26. In specie responderetur ad rationem Mevij.
27. In Ecclesiis Hospitalibus & Xenodochiis idem, quod in Civitatibus obtinet.
28. Con-



28. Contractus Prælati, an no-  
ceat Ecclesia?  
29. An Prælatus in bonis Ec-  
clesiæ feudum constituere  
valeat?  
30. Res Sacræ Incautè sapius  
emuntur.  
31. In rebus Ecclesiasticis quid  
obtineat?  
32. Incautus qui à Civitate rem-  
enturus, bona Domania lia  
accipit, & quid ad illorum  
alienationem requiratur?  
33. Quanam solennitates in  
bonis Civitatis alienandis  
requirantur?  
34. Quid in eâ, qui rem cum  
Collegio habet, obtineat?  
Et reliqua.

§. I,

**I**ncautorum notam multò sapius eos, qui cum  
Universitatibus contrahunt, incurrere, expe-  
riencia quotidiana eo magis docet, quo plures  
controversiæ, quæ de Civitatum, Rerum publi-  
carum, Pagorum, vel Collegiorum obligationibus  
atque debitis moventur, in foris subinde sunt con-  
spiciuæ. Hinc Illustris Mevii monitum in *P. 1 Dec.*  
*202. n. 5.* Caute scil. cum Civitatibus esse contra-  
hendum, non est frustraneum; Neque enim ex  
unò sed multifariis capitibus damnum absque spe  
ejus refusionis incautus incurrere poterit, de qui-  
bus jam specialius erimus tractaturi.

§. II.

Incauti ergò notam incurrunt, qui cum Re-  
publicâ vel civitatibus contracturus formam ipsam  
Reipublicæ, penes quos scil. existat totum impe-  
rium, quive totam Civitatem repræsentent, non  
examinat. Sicut enim extra omnem dubitationis  
aleam est positum, statum seu formam Reipubli-  
cæ veram propriamve eîe normam potestatis ma-  
gistra-



gistratum, actuumve, quos gerunt quosve perficiunt, validitatis, uti egregie demonstratum dedit Consummatissimus Jctus Mevius in Com. ad Jus Lubec. ad rubr. tit. 1. l. 1. n. 57. & seqq. Ita hujus neglectus multorum damnorum matrem esse, est in propatulô.

§. III.

Penes quos ergo ex hâc totum existit imperium, quia totam civitatem repræsentant; inde etiam eam sine dubiô Obligant. Confer. Dn. Mev. P. f. Dec. 383. n. 2. Sic multum refert, an civitas ipsa omnibus præsentibus & consentientibus civibus negotia tractet? an vero per Magistratum & Administratores. Sin hoc, cautionis haud exiguæ opus erit in discernendis ejus qualitatibus Maximè enim interest, an Civitas omnem iis dederit potestatem, ut omne penes ipsos sit imperium, ideoque illam in totum repræsentent? an verò tantum sui Rectores atque bonorum suorum constituerint administratores? Ex hóc enim discrimine suâ sponte sequitur, utrum civitas ipsa contraxerit, an ejus nomine alii.

§. IV.

Quando nunc in Magistratum omnis reipublicæ potestas, adeoque plenum translatum est imperium; Quis quæso dubiraret, cuncta illorum acta carere defectu, atque quamvis omnino obligare civitatem! Valent enim tantum, quantum ipsa civitas, possuntque illud, quod universi congregati possent; & sic perinde est, ac si ipsa Civitas



seu universi cives contraxissent, Hartm. Pist. 1. *Pract. qu. 37. n. 1. &c.* Namque in ejusmodi magistratus Collegium civitas omnem potestatem contulisse intelligitur, ut propterea etiam, Procuratori cum liberâ non videatur abfimile. Imò per Syndicum quoque ab ejusmodi Magistratû legitimè constitutum, si hic nomine magistratus quid gesserit, civitatem teneri, extra dubium est, cum Syndici factum, pro factô Magistratus, hujus autem factum pro factô Civitatis habendum sit.

§. V.

Hocque in formâ Reipublicæ vel Civitatis Aristocratica plerumque obtinet. Probe tamen contrahenti prospiciendum est, ut optimatum horum potestatem prius probe dijudicet; hæc enim non ubique eadem, sed alibi minus restricta est, id quod ex cujuscunque loci statutis & consuetudinibus respiciendum esse, optimè svadet Hartm Pist. *L. 1. qu. 37. num. 5.*

§. VI.

Hinc nunquam ex eorum gestis obligabitur civitas, ve ejus communia bona, si quid contrarij legibus civitatis peragant. Hæ enim ab omni Magistratum potestate sunt exceptæ, cum ipsi illis sint adstricti, *Mev. P. 3. Dec. 22. num. 3.* Neque per id, quod fini societatis repugnat, Magistratus ejusmodi absolutus civitatem devincire poterit. Cum finis sit salus atque cœtus civilis conservatio, quæ tanquam suprema Reipublicæ lex, quicquid ad ejus distra-



distraktionem pertinet, improbat. Sicuti jam ex his ipsi Magistratus potestas, etsi alias absoluta, limitationem recipit, atque conditionem habet, quæ ab ipsò quoque Magistratu instar legis fundamentalis sunt servanda; Ita suâ sponte fluit, incautum esse, qui his non probe discretis absolutè ejusmodi cum Magistratu contrahit, nunquam enim inde obligabitur civitas.

S. VII.

Si è contra creditor deprehenderit, contracturos repræsentare civitatem, securus utique erit, cum videantur fecisse singuli, quod civitatem repræsentantes fecerunt, Köppen. *Dec. 60. num. 35. Mev. P. 3. Dec. 229.* Nec illi civitati præjudicare voluisse præsumuntur, quod si interdum fallat, sibi id civitas imputet, vid. tr. Dn. Stryk. *Caut. C. Sect. 2. c. 1. § 5.* Sed an Consules & Senatus Civitatis Imperialis totam civitatem repræsentent? Dubium est. Affirmativam amplectuntur plurimi, propter magnam, quâ in ejusmodi Civitatibus Senatus pollet, auctoritatem, adeò ut referente Gylmannò *Symphor. tom. 1. p. 1. t. 2. Vol. 1. num. 2. § 2. fol. 63.* in Camerâ aliquando votatum sit: In Civitatibus Imperialibus, populum omnem potestatem in Senatum transtulisse, huncque in locum Principis electum esse. Verum enim vero, id ipsum universale non esse, non nullasque Civitates Imperiales jura quædam causasque arduas sibi referasse ex Civitatibus Democraticis & in quibus Tribuni sive Tribus vigerent, in specie Rotviliæ & Reutlingæ ex Knipschildiò *de Jur. & Priv. Civ. Imp. L. 5. C. 1. num.*



ii. in f. rectius docuit B. Dn. Stryk, in Uf. Mod. L. 12. tit. 1. §. 30. Videas ergo, quam facile & hoc in casu labi & incautus existere poteris?

§. IIX.

Quod porro eos attinet, qui nudi Magistratus, hoc est tantum Rectores atque Administratores constituti fuerunt, cum his eò cautius procedendum est, quò frequentius contingere solet, quod licet potissima gubernationis pars, consilia puta & judicia, ipsis commissa sit, graviora tamen negotia, præsertim statum publicum aut singulorum marsupia attingentia, non nisi adscitis populi suffragiis valide expediri valeant, arg. L. f. C. de autor. præs.

§. IX.

In tali ergo casu sic interesse putamus, an hi agant officiis suis cohærentia & convenientia, an ejus limites excedant? Si prius, tunc per officij rationem Civitatem in his, quæ istius sunt, obligant, tanquam communi omnium voluntate, per muneris necessitatem eâ potestate potiti. Sicuti enim officium transfert potestatem officio convenientem; Ita potestas quoque vim obligandi. Hinc non absurda doctrina Bartholi in L. 7. ff. quod. cujusc. univ. Pro regulâ scilicet esse receptum, quod factum officialium habeatur pro factò singulorum. Sic quoque, quod per ordinem Decurionum communi Civitatis nomine gestum est, rescindi prohibetur in L. quod semels. ff. de Decret. ab Ordin. fac. Imò ab illo, qui bona Reipublicæ jure administrat mutuum pecuniam accipiendo, civitas obligari dicitur in L. si is, qui bona ff. de pignor.



gnor. Si enim Civitas cupit eos habere officiales; rati habere quoque debet magistratuum acta, ex quorum virtute omnium quies dependet ac incolumitas arg. l. 2. ff. de Jurisdic. Et si pactum Magistri Collegio, cui præest, & prodesse & nocere dicitur in L. Item Magistri 14. ff. d. Pact. Cur nec civitas ex factô administratoris sui eodem modô, præsuppositis tamen præsupponendis, devinciri deberet?

§. X.

Sed quid tunc dicendum, si Administratorum contractus vi officii innitus in utilitatem civitatis non gestus sit? Gothofr. sanè ad L. 11. ff. d. Pignor. lit. f. ejusmodi promotionem utilitatis civitatis ad hoc, ut obligari possit, requirit; sed hoc tunc demum admittendum est, si magistratus extra officii metas contraxerint; Si enim in terminis officii manserint, civitas deficiente licet utilitate tenebitur. Hæc enim non ex solâ gesti utilitate, sed ex lege quoque civitatis atque communi voluntate, adeoque sponcione quâdam publicâ obstringitur. Bolognet, in L. Civitas. 27. n. 15. ff. de rebus cred. In simul ex L. 1. §. t. t. ff. quod jus su constat, quod ea sit communis omnium, qui administratores constituunt, obligatio, ut teneri velint ex ipsorum factis, quatenus administrationem demandatam respiciunt; Hinc defensores civitatis recipiendo per longius tempus minores usuras, quam promissas, præjudicare Reipublicæ dicuntur in L. Adversus creditorem C. de usuris. Imo  
C  
alibi



alibi traditum legimus, quod debitores Reipublicæ etiam in maximâ quantitate liberentur per apocham ab administratoribus generalibus, aut aliis ad hoc officium deputatis subscriptam absque probatione versionis in utilitatem civitatis. Coler. *de Proc. Exec. P. 2. C. 3. n. 372. & seqq.* Quamvis id facile concefferim, ut si ex contractu læsa fuerit civitas, restitutionis in integrum beneficiò gaudeat, *L. Rei publicæ 4. C. Ex quib. caus. maj. L. Reipublicam* ibi Bartol. *C. de Jur. Reipubl.*

§. XI.

Quod si ergo extra necessitatem officii magistratus contraxerint, diversum plane obtinet, civitasque neutiquam inde tenebitur. Huc enim spectat communis ICtorum sententia: Per nudos magistratus seu administratores civitatem non obligari. Coler. *de Proc. Exec. c. 3. n. 348. seqq.* Hartm. *Pist. qu. 37. & seqq.*

§. XII.

Varias tamen hæc Regula limitationes recipit. Si enim negotium, quod gesserunt, ita fuit comparatum, ut nolentes volentes aliorum voluntatem administratores sequi debuerint, quod in his accidere poterit, quæ in Conventibus Provincialibus, *auff denen Land-Tägen* tractantur vel concluduntur, tunc quia in ejusmodi Conventu ex legis necessitate conclusa, observare tenentur, ex illis utique obligatur civitas, *Mev. P. 3. Dec. 229. n. 18.*

§. XIII.



§. XIII

Sic tunc quoque tenebitur Civitas, si administratorum suorum facta exorbitantia tacite quoque vel ratificaverint, vel in illa consenserint. Hinc si talis occurrit casus, ut cum Magistratus soli contraxissent, deinde ii, quibus speciatim contrahendi cum iis potestas à populo erat, per multos annos ex ærario solvissent usuras, quis dubitaret, eo ipso adprobationem contractus esse secutam, civitatemque iuste inde debere, per *L. Adversus. 5. C. de usur.* ubi vid. Dd.

§. XIV.

Ex hoc porro concludit latiusque deducit Hartm. Pist. *qu. 37. n. 50.* quod si in præsentia illorum, qui populum repræsentant ab Administratoribus mutuuum acciperetur, hi verò non contradicant, ipsi mutuuum accepisse & inde obligari censendum sit, *arg. l. 13. ff. mandati*: Sed cum sola patientia vel taciturnitas in causis onerosis, eo quod quisque salvò jure suo tacuisse videatur, consensum inducere, non valeat; Inde ex solâ hæc administratorum præsentia consensum minus recte inducere, sua sponte consequitur, ac eruditè more solitò docuit B. Dn. Stryk. *in C. C. S. 2. c. 1. § 6.* Generalitatem enim citatæ legis *18. ff. Mandati*, propter quam etiam Mevius *P. 3. Dec. 229. n. 14.* Pistoris adprobare videtur sententiam, ad talem casum restringimus, ubi quis præsens fuit & non contradixit, cum tamen contradicere potuisset & debuisset; vel ad casum, quò præter scientiam

C 2  
ali-



aliquod factum positivum, quo elici possit consensus, concurrat. aut in tacentis commodum actus, qui geritur, tendat. Confer Dn. Hopp. *ad Inst. Quid. mod. jus patr. potest. tollit. ad §. 8. Voc. non contradicente.* §. XV.

Neque Colero hic assentire possumus, qui *in tr. de Proc. Execut. Cap. 3. P. 2. n. 350. & seqq.* statuit: Præsumi consensum totius civitatis, si in instrumentô sit expressum, quod consules & senatores omnium trium collegiorum *aller dreyer Râthe* / ut vocant, una cum tribunis plebis civitatis præsentibus fuerint, Illudque Sigillo publico administratoribus, commissô roboraverint; id quod adeò extendit Bolognet *in L. Civitas 17. ff. de reb. cred. n. 44.* quem adprobat Pistor. *in quest. p. 1. Resp. 37. n. 1.* quod nec in hoc casu creditori probare versionem contractus in utilitatem civitatis necesse sit. Nam qualis, quæso fenestra ejusmodi administratoribus non aperiretur abutendi ejusmodi sigillô publicô, ut pecuniam modo accipere queant. Hinc contrarium rectius à prælaudatô Dno. Strykio *in us. mod. L. 12. tit. 1. §. 35.* doctum est.

§. XVI.

Ex dictis itaque abunde patescit, quàm difficile sit ex contractû administratoris obligare civitatem & quàm facillimè quis incautus inde labi possit. Idque primaria est ratio, quare ex horum contractibus contra civitatem, licet hujus nomine contractus sit initus executivè procedi nequeat. Processui enim executivo in tam intricatis & dubiis



biis casibus non est locus, scribit Mev. *P. 3. Det.*  
*228. n. 4.* sed clarè prius constare debet, an ille,  
quem convenire cupiò, revera quoque sit meus  
debitor. Cum autem civitatem administratores  
non obligent, nisi in utilitem reperiatur ver-  
sa pecunia, *L. 27. ff. de reb. cred.* versio verò altio-  
ris sit indaginis, probatione creditoris indigens,  
Bolognet *in d. l. n. 15.* Jason *n. 12. § 13.* Ita non  
statim adexecutiva properandum, sed processu Or-  
dinariò non immeritò causa ventilanda.

§. XVII.

Neutiquam tamen cum administratoribus  
contrahens, contra civitatem acturus, in totum  
repelli, sed si versionem in utilitatem civitatis pro-  
bare velit, audiri debet. *L. civitas 27. ff. de reb. cred.*  
Sicuti autem vel per instrumenta, vel per testes,  
vel per ocularem inspectionem, vel per juramen-  
ti delationem, imò per confessionem, probatio-  
nem hanc creditor expediri, & si legitime facta sit,  
civitas ad contractum administratoris servandum  
cogi potest. Ita probè in modum probandi inten-  
tus sit, necesse est, si civitatem condemnari, seque  
ipsum ab Incauti notâ damnove inde resultante  
liberatum desiderat,

§. XVIII.

Incautus siquidem foret, si is, qui admi-  
nistratoribus mutuam dedit pecuniam, per instru-  
menta versionem probaturus, dicat: Civitatem  
ex tali pecunia se ab ære liberasse alienò, & pro-  
pterea obligationem & quietantiam producat so-



luti debiti, quas creditor, à quò liberata est civitas, ipsi tradidit, civitas verò ad soluti debiti solutionem firmiter non fuisset obligata. Tali enim in casu cum exceptione non factæ versionis, utpote adeò privilegiatâ, ut etiam instrumentò gwarantigato in ipsâ executione opponi possit, Carpz. *L. 2. tit. 10. Resp. 106. n. 13.* Stryk. *in us. mod. L. 12. tit. 1. §. 33.* audiendam, atque à novi debiti restitutione liberandam esse arbitror, arg. *L. 7. §. 14. ff. ad Scrum Maced.* Quamvis facile largiar, nullam commodiorem esse fermè probationem, quam si creditor producat apochas operariorum, quibus illi confitentur, illis ex pecuniâ hujus creditoris solutum esse.

§. XIX.

In eandem Incauti Notam incidit, qui versionem in rem probaturus, se in tali instrumentò fundat, in quò administratores Exceptioni non factæ versionis renunciarunt. Neutiquam enim eò ipso ab onere probandi relevaberis, Mascard. *de Probat. Vol. 3. Concl. 167. num. 3.* Quare namque renunciatio hæc civitati tanquam alicui tertio nociva esse deberet? Dalner. *de Renunc. c. 1. num. 55.* Ex eòdem quippe fundamentò hoc, quod supra §. 11. asseruimus, deciditur; Nullatenus scilicet sufficere, si instrumentò dicatur: Contractum consensu populi & civitatis esse initum, cum secundum Heigium *L. 1. qv. 34. num. 21. & seqq.* Civitatis consensus tanquam extrinseca solennitas non præsumatur, sed ejus accessio utique probari debet.

§. XX.



§. XX.

Si ad confessionem ex eâ versionem probaturus se confert creditor, vix quoque erit ut Improvidi notam effugiet; Ut ut vel maximè omnium optima ac probatissima probationum species dicatur à Menoch *Conf. 2. num. 14.* & Gravett. *Conf. 380, num. 12.* Sive Administratores, sive ipsa Civitas versionem confessâ fuerit. Illi enim per suam confessionem sibi quidem, corpori verò, cui profunt, eo minùs præjudicare possunt, quò evidentius est: Confessiones earum personarum, quæ actum aliquem libere expedire nequeunt, nisi certa qualitas, quam accessisse, asserunt, interveniat, nullam probandi vim obtinere Philip, *Dec. 16 Obs. 2. num. 7.* Administratores enim eadem sine dubiò facilitate versionem confitebuntur, quâ mutuum contrahunt, præsertim cum exinde se à periculò de debitò eventualiter respondendi liberaturos intellexerint, si versionem non faterentur. *L. Civitas. 27. ff. d. R. C.*

§. XXI.

Neque ipsius Civitatis confessio haud majus ferè commodum creditori affert; Quamvis enim post hanc ab ulteriori probationis versione liberetur; Quia tamen ex *L. Respublica 3. C. de Jur. Reipubl.* nec non ex *L. 4. C. Ex quibus caus. maj.* manifestè constat: Rempublicam ac Civitatem beneficiò gaudere restitutionis in integrum contra quemcunque actum nocivum; Quid? quæso hâc impetratâ creditorem juvabit civitatis confessio? Sed si civitas semel versionem confessâ fuerit, ex post verò ad restitu-



stitutionem provocaverit, an tali casu onus probandi in civitatem redundabit, contractum in ejus utilitatem versus non esse? Affirmativam recte docuit B. Dn. Stryk. *in us. mod. L. 12. Tit. 1. §. 27.* Civitas enim absque læsionis probatione non potest restitui, hæc autem probatio aliter expediri nequit, nisi contractum, quem civitas confessæ est, non versus esse ostendat. Vides ergo, quàm maximè securitas creditoris non obstante confessione vacillet.

§. XXII.

In Juramenti delatione super versione maximè quoque creditor incautus esse poterit; Sicut enim delatio ei fieri debet, per cujus confessionem civitas obstringitur; Ita in cassum laborabit, Administratoribus illud delaturus. Hi enim cum ad jurandum fuerint faciles, modo ab obligatione liberentur, per juratam suam assertionem civitati præjudicare nequeunt, per *t. t. C. res inter al. act.* Hinc nec Prælati Juramentum Ecclesiam vel Monasterium obligare dicitur *in cap. Mulier. X de sentent. excommun.*

§. XXIII.

Si quis ergo contra civitatem ipsam incautus lapsus fuerit, actionemque perdiderit, nullum ulterius reliquum ipsi est consilium, quam ut directo Administratoribus ipsos eorumque heredes conveniat, hi enim juxta sæpiùs allegatam *L. 27. ff. de Reb. Cred.* in subsidium indistinctè tenebuntur. Dixi in subsidium, *hoc est*, si civitas non validè obligata fuerit. Hæc enim firmiter obstricta, Administratoribus non tenebuntur, juxta doctrinam Berlich. *P. 3. Dec. 303.*

Quamvis



Quamvis dissentiat Anton. Fab. *ad L. 27. ff. de Reb. cred.* Hoc quidem admitti potest, ut durante officio quidem conveniri possint, sed ita, ut non ex propriis, sed ex civitatis bonis creditori satisfiat. Hartm. *Pist. q. 37. n. 55.* Incautus ergo creditor erit, qui non præviâ beneficii Excussionis renunciatio- ne administratores simul se obligare curaverit. Tali enim casu electio mihi non competit, an civi- tatem ipsam, an administratores convenire velim? vid. Carpz. *L. 4. Resp. 80. n. 4.*

§. XXIV.

Ex quò autem Mysticam quamdam personam universitatem esse asseritur, ex eo rarissimè mul- tas ob incommoditates, si lis peragenda sit, ipsa in judicio agit & convenitur, sed totus processus per Syndicum dirigitur. Ubi non infrequenter incauti notam incurrit, qui cum Syndicò uni- versitatis nomine litigat. Si enim instrumentum syndicatus non à totâ civitate, sed saltem ab Admi- nistratoribus subscriptum ac sigillatum sit, neuti- quam periculum processus in civitatem ejusque communia bona retundaturum erit, sibi litigans imputaturus, quod meliorem legitimacionem non postulaverit.

§. XXV.

Non ignoramus equidem, Carpzovium *in P. 1. C. 13. def. 7. in fin.* nec non Mevium *P. 2. dec. 36.* apertè docuisse, constitutionem Syndici nomi- ne civitatis à solò senatu sine scitu & consensu po- puli expediri posse. Sed dum à B. Dn. Strykio

D

in



in ul. mod. *L. 3. tit. 4. §. 9.* his sufficienter sit satisfactum, ut aliquid addamus, vix opus esse censemus; Hinc Richter *P. 1. Dec. 71.* ac Coler. *de Proc. Exec. P. 3. Cap. 3. n. 30.* in praxi receptum, imo *Mynf. cent. 1. Obs. 76.* præjudiciò Camerali confirmatum esse, asserunt: Solam Consulium & senatorum voluntatem ad syndici constitutionem non sufficere. Quare cum ante plures annos à Senatu N. absque præscitu civium Processus inchoatus, sed ante paucum tempus à parte senatus perditus, imò hic in Expensas, quæ se ad duo millia thalerorum extendunt, haud inique condemnatus sit, non immerito civitas protestabatur, se nullatenus consensuram, executionem in bona ejus communia esse faciendam.

§. XXVI.

Prælaudatus Dn. Mevius quidem cit. decisione *n. 4.* pro fundamentò sui asserti hanc allegat rationem differentiæ, quod Consules ac Senatores, velut Administratores Reipublicæ hujus negotia & lites agendi plenam potestatem, non autem eandem ad obligandum & alienandum habeat. Sed cum per Syndicum etiam obligetur civitas, hujus autem interfit, absque ejus præscitu ipsam non obligari, dicta ratio haud erit sufficiens.

§. XXVII.

Quod autem hætenus de Republica & Civitate diximus, illud ad Ecclesias aliave pia loca, ut Hospitalia & Xenodochia &c. quoque pertinet; Si enim unquam in contractu quis incautus esse, sane in contractu



tractu cum Ecclesiâ contingere potest. Hinc omnibus à contractu cum Ecclesiâ tanquam re pestiferâ & perniciosissimâ abstinendum esse, Doctores ammonent, Ant. de Freundeberg *de Rescr. Morat. Concl. 32. n. 14.*

§. XXIIIX.

Contractus enim Prælati Ecclesiæ non magis nocet, quam Contractus Administratorum Civitati. In mutuô dandô in specie quoad Ecclesias Protestantium Incautus est, qui Consensum Patroni, vel si res magni sit præjudicii, Consistorii & in Canonicatibus Capituli negligit.

§. XXIX.

De Feudo alias controverti solet, an in peculiaribus Ecclesiæ bonis Prælati feudum alicui concedere possit? Ubi Dd. inter res infeudari solitas & non solitas distinguunt. In his, Prælatum absque justæ causæ exigentiâ & præviâ cognitione consensuque Capituli feudum constituere non posse, extra dubium est. *1. feud. 1. pr.* Neque consensum Pontificis hodie requiri docet Andr. Vallens. *parat. de Reb. Eccles. alien. vel non. § 3. num. 2.* At in rebus infeudari solitis, laxiorem Prælati competere potestatem, nec opus esse, ut in earum ulteriore concessione solemnitates Canonice adhibeantur, cum illarum infeudatio non primum instituat, sed id, quod semel ad infeudationem destinatum, ulterius in feudum concedatur ex Gail *L. 2. Obs. ult.* constat. Vid. etiam Rosenthal. *Cap. 4. Concl. 31. num. 37.* Imo idem, quod de Prælatô diximus etiam sede vacante in Capitulô

D 2

obti-



obtinere, Dd, *in Cap. 2. X. de Feud.* afferunt, Struv. *S. J. F. Cap 5 Aph. 9.*

§. XXX.

Incautus porrò existit, qui in contractu cum Ecclesiâ res ipsas debitasve solennitates non respicit; Res enim Sacras non nisi ex tribus alienari posse capitibus in vulgus notum est. Sed hic quoque incautus erit emtor, si non præviam causæ cognitionem desideret, Reduan. *de rebus Eccl. non alien. qu. 23.* Deinde, si vas sacrum ante contractum, modo bonâ fiat fide, prius conflari curet, *wenn er es nicht vorher zerschmelzen läßt. Id. qu. 7. n. 19.* Quamvis hanc cautelam ultimam super abundantem esse rectius statuendum sit.

§. XXXI.

In rebus, quarum quidem alienatio paulò liberior, Ecclesiasticis comparandis, tunc Incautus quis existit, si causas alienationis solenniave non attendat. Inter causas partim Necessitas, partim Utilitas, partim Pietas, partim Incommoditas referri solet. Solennitates autem quod attinet, licet Canonistæ earum quinque desiderent, de quibus vid. Dn. Stryk *in C. C. S. 1. C. 3. § 10.* tamen quoad bona Evangelicorum Ecclesiastica duæ saltem requiruntur: justa scil. alienationis causa & causæ cognitio Consistorii, quod vices Episcopales repræsentat. Ubi verò adhuc penes Evangelicos Ecclesiæ supersunt Cathedrales vel Capitula, solennia Juris Canonici in alienatione bonorum



rūm strictè adhuc observanda docet idem Stryk,  
*d. tr. §. 11. Vid. Du. Mev. P. 9. Dec. 6.*

§. XXXII.

Ex eadem negligentia rerum consideratione  
multo sæpius in notam improvidi incidit, qui à  
civitate vel Republica rem comparaturus bona Do-  
manialia, zur Fürstlichen Tafel gehörige Güther  
accipit. Horum enim alienatio nec juramentó  
principis confirmata subsistet. *Cap. intellecto 33.*  
*X. de Jure jur. ibique Dd.* Hinc si damna Incauto-  
rum contrahentium hic evitare desideras, cura,  
ut primo causá alienationis justa ac necessaria ex-  
primatur, deinde ut Procerum vel Statuum ad mi-  
nimum majoris partis consensum adhibeas. *Vid.*  
*Dissert. Seidel, de sacrò Domaniorum Jure, Aßert. 12.*  
*n. 1.*

§. XXXIII.

Bonorum quoque Civitatis alienatio solenni-  
bus non destituitur. Requiritur enim (1) con-  
sensus principis. *Vid. Lofæ, de jur. Univers. P. 3.*  
*C. 5. n. 18. seqq.* (2) Consensus civitatis. (3) Ju-  
rumentum, quò se existimare alienationem Civi-  
tati esse utilem, affirmant; (4) præviâ rerum alie-  
nandarum subhastatio. (5) Solenne alienationis  
Instrumentum. *Vid. omninò L. 3. C. de Vendit. rer.*  
*Civ.* Sicut jam horum omissio in dubiam infert  
nullitatem; Ita Incautum facillime inde labi posse,  
est manifestissimum.

§. XXXIV.

De Collegiis restat dicendum, an & quatenus

D 3

cum



cum ipsis contrahens incautus existere valeat? Sed eadem, quæ supra de Civitatibus diximus, huc quoque applicari poterunt. Hinc Seniores toti Collegio, si quid extra officium per agant, v. g. si transigant, renuncient vel donent, præjudicare nullò modo poterunt. Ejusmodi enim Seniores negotiorum Collegialium nudi tantum Administratores sunt ac Curatores, qui ea, quâ decet diligentiam atque sollicitudine ista curare ac gerere debent, ut diligentibus Curatoribus, quibus in jure comparantur, *L. 12. 13. 14. & 15. ff. de Pactis*, incumbit. Sicuti ergo illi super negotiis, quæ administrant, transigere nec aliud, quod in commissis habent, expedire possunt; Ita nec horum major potestas esse poterit. Non ignoramus equidem in *L. Item Magistri. 14. ff. de Pact.* Pactum Magistri obesse & prodesse Collegio, aperte dici: Sed hoc saltem de tali casu admittimus, ubi Seniores in paciscendo terminos officii transgressi fuerint. Dieta enim lex de hoc solò casu, juxta communem Doctorem opinionem accipitur. Et quamvis Seniores Collegii instar alicujus Magistratus obtineant, *L. f. C. de Jurisd. Mev. P. 7. Dec. 177. num. 2.* cum committatur ipsis directio & cura præcipua negotiorum Collegialium; Hi tamen in ordine ad Collegialia nihil amplius Juris habent atque Collegæ cæteri, nec Seniores circa Collegialia in cæteras Collegas Jure Magistratus quicquid potestatis habent. *Mev. P. 7. Dec. 176.* Quibus ipsi labori nostro exoptatum

imponimus

F I N E M.



## COROLLARIA.

### I.

**P**Actum defuncti cum creditore  
pinitum, quod scil. hujus crediti  
intuitu in solidum teneri debeat,  
in tantum impedire potest divisi-  
onem nominum, quæ alias ipso ju-  
re fit inter heredes, ut heres con-  
ventus Exceptione: Ego non sum  
solus heres, uti non valeat; quam-  
vis dissentiat *Mev. p. 5. Dec. 66. &*  
*Carpz. p. 3. dec. 152.*

### II.

Morte Civium ut ut plerorum-  
que officium Syndici nequaquam  
expirat, nec novò instrumentò Syn-  
dicatus nec litis reassumptione opus  
est, frustra dissentiente *Carpzovio*  
*P. I. Const. 13. d. 10.*

### IV. Jus



III.

Juramentum vi vel dolo extortum non obligat.

IV.

Jus compascui, vulgò die Koppelsweide / pro lubiru à paciscentibus, uti quidem putavit Carpzovius *P. 2. C. 41. def. 9.* regulariter revocari non potest. Idem de Conventionone, von der Koppel Jagd dicendum. Neque definitio juris compascui, quam tradit idem Carpzovius, accurata; Imo & Juri Compascui & Conventiononis præscribi potest, utut diss. idem Carpz. *p. 2. C. 4. def. 14.*

V.

Promissum Matrimonium neganti recte pars affirmans Juramentum deferre potest.

¶ (o) ¶



Cefwks, Diss., 1711/12

ULB Halle

3

004 171 527




ser









3

D. D. B. V. 1711, 9

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,  
DE  
**INCAUTO CONTRAHEN-  
TE CUM UNIVERSITATIBUS,**

7

*Quam*  
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,  
RECTORE HUIUS UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO;  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO

*P. 80.*

**PHILIPPO WILHELMO,  
S. R. I. COMITE de BOINEBURG,**

SACRÆ CÆSARÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO & CA-  
MERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCLESIARUM,  
MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CANONICO CAPITULA-  
RI SENIORE, & respectivè SUPREMO CHORI- EPISCOPO,  
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CON-  
SILIARIO INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORIique  
EREFURTENSIS PRO- PRINCIPE &c.&c.  
EX DECRETO ILLUSTRIS JCTORUM ORDINIS IN  
ELECTORALI ERFURTENSI ACADEMIA,  
SUB PRÆSIDIO

*VIRI Pranobilissimi ac Consultissimi*  
**DN. TOBIÆ JACOBI Reinharth/ J.U.D.**  
nec non Regim. ac Judic Elect. Erfurt. Advoc. Ordin.  
*DN. PATRONI ac FAUTORIS maximè devenerandi,*  
**PRO LICENTIA**

Et Consequendis Summis in Utroque Jure HONORIBUS,  
PRIVILEGIIS & IMMUNITATIBUS,  
*Solenni Eruditorum Cœtui publicè submittit*  
**ANDREAS GROSSMANN, Sangerh. Thur.**

In Auditoriò JCTORUM Majori,  
*Ad diem 21. Martij. M. DCCXI. hor. antiem. IIX.*  

---

**ERFFURTI, Typis JOH. HENR. GROSCH. Acad. Typogr.**

